

habere ponderis videatur: eum sēpē errare cer-
tum est: subtilis autem iudicij qui fuerit sēpē
errare?

At verò magnum infirmi iudicij argumen- *Infirmi iu-*
tum est: si, quas res aliquando maximè certas dicij signum
habueris, in iis postea errasse te toto cœlo de-
prehendas: & si id accidat frequentius: sicet
iam nihil tua sponte animaduertere, nihil iu-
dicare posse: nisi semper quos sequaris habe-
as, ingenij est valde imbecillis, & qui de re-
bus multis contrà iudicat quàm quos mirata
est ætas omnis: necesse est eum iudicio esse aut
diuino fortè quopiam, aut certè nullo.

Hisce argumentis si quis ingenij, iudicijque
sui vim diligenter diuque explorauerit: næ il-
le à scopo haud longè aberrauerit. Sed alia est
adhuc adhibenda cautio: ut quam audax sis,
aut quàm timidus natura expendas: audacia
enim plus æquo tibi tribuere conabitur: pu-
dor autem minus. Quocirca ad certius facien-
dum iudicium addenda sunt experimenta:
quæ tuam de te opinionem aut non æquabunt,
aut fortè superabunt etiam: itaque animos aut
addent, aut cohibebunt.

Cognitis ingenij viribus alia sequitur con-
sultatio explicatu minimè facilis: cùm abso-
luta esse oporteat ea quæ in publicum emit-
tas: nam si numeris omnibus esse arbitris
oportere: nemo quicquam rectè ædet vñquā.
Apparet ergo ea quoque ædi licere: in quibus